

§. VIII. Melior itaque & præstatior erit explicatio, qua Prophetæ mentem revera talem fuisse afferitur, quod *Infantes* eo fine debuerint adduci, ut cum adultis poenitentiam agerent; Non enim est ratio, quæ, alium scopum DEI fuisse in adultis, alium in infantibus, edoceat: cum universæ congregationi, cuius partem infantes debebant constituere, idem contingat mandatum, eadem dictetur poena, eadem proprie natura promissio. Satis mature hoc expendit HIERONYMVS, qui hunc locum Joëlis ita παραφεύζει: *Congregate populum,* ut qui dispersus peccaverat, congregatus peccare desistat. *Sanctificate Ecclesiam,* ut nullus in ecclesia non sanctus sit, ne forsitan impedianter orationes vestre: & modicum fermentum totam massam corrumpat. Coadunate sive eligite senes, ut non etas in eis sed sanctitas eligatur. Congregate quoque parvulos & sugentes ubera, ne ulla sit etas, quæ non convertatur ad Dominum. Parvulos & lactantes, de quibus in Psalmis & in Evangelio legimus: *Ex ore infantum & lactentium perfecisti laudem.* Quos Petrus rationali & absque dolo dicit lacte nutritos, de quibus Paulus loquitur: *Lac vobis potum dedi, non escam, quorum & Salvator meminit: ne contemseritis unum de minimis istis.* Oper. Tom. VI. p. 75. Non vult itaque HIERONYMVS excludi infantilem ætatem ab illis, qui convertuntur hic ad Dominum. Unde finis congregationis a Prophetæ præscriptæ abunde patet, nihilque supereft, quam ut penitus scrutemur, qua ratione poenitentiam ab infantibus exigi aut præstari posse, illæsa fide ejusque analogia dici & concedi queat, ne in excessu vel defectu aliquid peccetur.

## SECTIO II. DOGMATICA.

### §. I.

**Q**uam difficile sit argumentum & grave præsens de poenitentia Infantum, protinus patebit, si ante omnia divortia

B 2

sen-